



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis  
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros  
partitum**

**Laymann, Paul**

**Moguntiae**

2. De conscientia, quid sit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40716**



THEOLOGIÆ MORALIS

Compendium absolutissimum

R. P. Pauli Laymanni Soc. Iesu Theologi.

LIB. I. TRACTAT. I.

DE CONSCIENTIA

CAP. I.

*De Synteresi.*



**S**ynteresis est habitus siue conser-  
uatio principiorum practicorum.

Practica siue moralia principia  
sunt vniuersales, ac per se notæ hu-  
manarum actionum regulæ, & quæ-  
dam lumina virtutum vera & incommutabilia. Vt,  
Bonum honestum amplectendum, malum pecca-  
ti fugiendum, non plus minusue irascendum, come-  
dendum quam oportet, iuste viuendum, propriis  
suis reddenda. 1.

CAP. II.

*De Conscientia, quid sit?*

**C**onscientia est iudicium rationis practicæ cir-  
ca particularia per ratiocinationem deductum  
ex principiis vniuersalibus contentis in Synteresi.  
V.C. Omne malum peccati est detestandum: Per-  
iurium est malum peccati, quippe rectæ rationi ad-  
uersum. Ergo.

A

Con-

2 Conscientia partim se extendit ad opera præterita, si mala, remorsus: si bona, testimonium Conscientiæ 2. Cor. 1. Vel ad futura, dictando quæ faciēda tanquam honesta, & quæ omittenda tanquam turpia.

3 Coroll. 3. Conscientia est actus elicited à virtute prudentiæ, circa particularia. Synteresis autem continet vniuersalissima principia prudentiæ. Inter synteresin & prudentiam particularem, est media moralis scientia siue iuris prudentia. V. C. In malis promissis fides non est seruanda: Omne iuramentum seruari debet, quod sine dispendio salutis æternæ seruari potest: hæc comparata ad synteresin, conclusiones sunt; comparata ad prudentiam, sunt & ipsa moralia quædam axiomata, recteque viuendi regulæ, 2.

## CAP. III.

*Quotuplex Conscientia.*

1 Conscientia alia est vera, recta, alia est falsa, errans. Est diuisio analogica, quippe cum errans Conscientia propriè nomen Conscientiæ non meretur.

Conscientia recta est, quæ ex practicis principiis secundum omnes circumstantias rectè applicatis, colligitur de agendo vel non agendo.

Porro applicatio illa principiorum interdum vera est tam speculatiua quam practica veritate & tunc emergit conscientia omnimode vera. V. C. Ius suum cuique tribuere, honestum est, coniugi autem ius competit ad coniugii actum, Ergo ipsi suus coniunx rectè & honestè coniugii debitum reddit: hæc autem